

No. 506. 1358. 1. Juli.

*B. Johann errichtet unter Zuziehung des Capitels sein Testament.*

In nomine domini amen. Cum nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liber sit stilus secundum canonicas et legales sanctiones, hinc est quod nos Johannes dei gratia episcopus Missnensis volentes de rebus a deo nobis collatis et per nostram industriam acquisitis condere testamentum et donationes facere infra scriptas. De expresso consensu nostri . . capituli dedimus, donavimus et legavimus disposuimusque nostrum testamentum secundum modum infra scriptum, et honorabiles viros dominos Theodericum decanum, Albertum praepositum Bûdissinensem, Conradum Prûzen praepositum Haynensem, Conradum de Walhusen archidiaconum Lusatiae et Nycolaum doctorem decretorum, canonicos ecclesiae nostrae Missnensis et eorum quemlibet in solidum nostros testamentarios et executores testamenti nostri seu donationum nostrarum ordinamus, constituimus, facimus et deputamus ad disponendum de rebus nostris relinquendis secundum voluntatem et dispositionem nostram infra scriptam. Primo eisdem . . deputamus et assignamus mille sexagenas latorum grossorum Pragensium pro munitione una seu certis redditibus annuis comparandis ecclesiae nostrae seu . . successoribus nostris et mensae episcopali, si et in quantum nos interim dum vixerimus unam munitionem non comparaverimus seu certos redditus annuos pro eisdem mille sexagenis. In quantum vero nos unam munitionem seu certos redditus pro dictis mille sexagenis comparaverimus, ex tunc praesens nostra assignatio et dispositio de ipsis mille sexagenis debet expirare et ulterius vigorem non habere. Item assignamus et deputamus eisdem nostris executoribus trecentas sexagenas grossorum praedictorum ad comparandum certos redditus annuos pro duabus vicariis de novo in dicta ecclesia nostra Missnensi creandis et instituendis, si et in quantum per nos non fuerint comparati, prout pro nunc etiam est expressum. Item deputamus eisdem nostris executoribus et assignamus centum sexagenas grossorum praedictorum ad firmandum ecclesiam collegiatam Wurczinensem et castrum in Würzin muro sollempni et fossato. Item deputamus et assignamus eisdem nostris executoribus sexaginta sexagenas grossorum praedictorum pro construenda et aedificanda turre in castro Nûssin. Item legamus et donamus . . successori nostro canonicè intranti duas nostras pelves lavatorias argenteas, item octo scutellas argenteas in maiori forma et quatuor in minori forma, item unum cyphum cum pede deauratum, in cuius medio iacet leo etiam deauratus, similiter et ipse cyphus est deauratus ab intra et ab extra, item unum cyphum Treverensem etiam cum pede. Item deposuimus apud ecclesiam nostram Missnensem centum sexagenas grossorum pro cautione ad reddendum . . canonicos et capitulum eiusdem ecclesiae indempnes in eo, quod procuratorium in causa . . abbatis Kempnicensis ad Romanam curiam transmiserunt, quas etiam, si expensae non fuerint in dicta causa, in toto vel in parte dictis . . nostris executoribus assignamus et deputamus pro comparandis redditibus annuis ad praedictas vicarias de novo creandas et instituendas in tantum, ut . .